

cionis. Amen dico vobis, servate feriam sextam ac diem dominicum incipiendo celebrare in sabbato post meridiem videlicet ad feriam secundam post ortum solis mea verba saluberrima studijs sequentes. Super hoc precipio archiepiscopis, episcopis, presbiteris et singulis viris religiosis, ut manus suas super crucem ponunt (!) et predicent et iniungant hominibus ieiunia et in sexta feria huiusmodi cum vexillis et sanctorum reliquijs ecclesias quaslibet voluerint frequentare. Credite, o creduli, preceptaque (!), que vobis dederam, non servaveritis, addicam super vos sanguineam pluviam ardentibus cum lapidibus veluti tonitrua ferirent (!). Volebam quoque die dominico mensis septimi sequenti proxima dominica post festum nativitatis mee destruxisse et delevisse omne, quod modo sub celo vivit, sed intercesserunt sancti et a me avertit mea mater preelecta cum sanctis Cherubyn et Seraphin, qui non cessant cottidie pro vobis propter vestra magna in-gencia crimina [orare], unde misertus sum. Juro vobis per manum dextram et per brachium extensum et excelsum, per sanctos angelos et meos superiores et inferiores: si non custodieritis diem dominicum, mittam super feras et aves ferocissimas, quas primo non audistis nec vidistis. Sol iterato obscurabitur, quod alter ab altero non videtur et interficietur; avertam quoque a vobis faciem meam et eritis abhominabiles plangentibus clamoribus multiplicibus et dolentes animeque vestre ab igne arescent perpetuo indeficienti; addicam super vos perterrita (!) horrentissima (!), que vobis non parcent, sed terram vestram propter peccata vestra destruent (297r) et devorabunt, precipue propter diem dominicum, quod (!) non custodivistis. Item iuro super manum dextram et meorum angelorum et archangelorum et angelorum aliorum virtutes et per fidem sanctorum meorum: Si diem dominicum non custodieritis, interficiam et delebo vos et liberos vestros, Ita quod nec memor vestri in celo ero, nec in terra fiet. Verumptamen dico vobis: Si conversi fueritis ab operibus vestris perfidissimis et a pravis et diem mee resurrectionis custodieritis, dabo super vos benedictionem saluberrimam, terraque vestra ger-

/p